Quid Ariſtoteles & alij Philoſophi de immenſitate Dei ſenſerint.

XLVIII. EX his ergo ſatis (vt exiſtimo) euidenter demonſtratur, ratione naturali cognoſci Deũ eſſe immenſum. Nec mirandũ eſt antiquos Philoſophos vim harũ rationum non eſſe aſſecutos, quia fortaſſe de diuina cãlitate & vniuerſali actione & perfectione infinita non ſatis rectè ſenſerunt, quanq̃ non oẽs diuinam immenſitatem ignoraſſe exiſtimandum ſit. Plures.n.tam Philoſophos, quàm Poetas referunt Clemens Alex.li. 5.Strom.prope fin. Lactan.lib.1.diuin.inſtit.ca. 5.& Cyrill. Alex.lib.1.contra Iulian.verſus finẽ, rectè de vbiquitate Dei ſentientes. Inter quos pręcipuus fuit Hermes Triſmegiſtus, qui non ſolũ in hoc mundo, ſed ẽt extra illum ſine vllo termino Deum eſſe agnouit, & ideo Deum comparauit ſphæræ perfectę, cuius centrũ eſt vbiq;, & circũferentia nuſquã. Ex Platone etiam & aliis Philoſophis multa referunt Ficinus & Eugubinus locis ſupra citatis. Et Cicero in 1.Academ. hanc dicit fuiſſe Platonicorũ ſñiam. Idemq; ſenſiſſe Taletẽ Mileſium ſumitur ex Ariſt. lib.1. de Anim. tex.86. vbi refert illum dixiſſe, oĩa eſſe Deorũ plena. De ipſo verò Ariſtotele q̃d ſenſerit res eſt dubia, nam in locis ſuprà citatis videtur planè ſentire Deũ eſſe in circunferẽtia ſupremi cęli. Quod quidem D.Tho. interpretatur intelligendum eſſe ad eum modum, quo nos etiam dicimus peculiari modo Deum eſſe in cœlo, quia ibi ſingulari mõ oſtendit ſe ipſum. Ita inquit D.Tho. dixiſſe Ariſtotelẽ Deum eſſe in loco cœli, quia ibi plus influit, & efficacius operatur. Quã expoſitionem aliqui etiam extendunt ad locũ ex libro de mundo ad Alex. Sed ſi quis locum illum attentè conſideret, videbit eſſe violentam expoſitionem. Ad loca verò ſumpta ex Metaphyſ. & 8.Phyſic. facilius poteſt accommodari, & ideò multi ẽt ex antiquis ita Ariſtotelem interpretati ſunt, vt Simpl.8. Phyſ. Themiſt. in Paraph. Metaph. Philopon.1. de anima, text.40. & ex modernis Eug. lib.4. de peren. Philoſ.ca.7. Vicomercatus in fine 8.Phyſ. & ibidem Toletus. Quibus fauet quod idem Ariſtoteles 1.de cœlo ca.9. ſignificat, Deum eſſe etiã extra vltimam ſphæram, ibiq; vitam agere fœliciſſimam, quanquam ibi vniuerſe de intelligentiis loqui videatur, de quibus infra videbimus. Fauet etiam ꝙ idem Ariſt. primo de partib.animal. c.5. Heraclitum laudat, ꝙ cum in furnaria caſa caloris gratia ſederet, ingredi amicos iuſſit, dicens, [Quoniam ne huic quidem loco Dii deſunt immortales.] Denique fauet ꝙ principia philoſophica quibus probamus Deũ eſſe in oĩ loco, in Ariſtotelis doctrina fundata ſunt. Iuxta hanc ergo ſẽtentiam oportet negare librum illum ad Alexandrum, eſſe Ariſtotelis, quod aliqui moderni facilè admittunt, non caret tamen difficultate, præſertim propter autoritatem Iuſtini grauiſſimi, & antiquiſſimi Philoſophi, vt alii etiam plures ſatiſq; accurati antiquitatis inueſtigatores obſeruarunt. eſt ergo ſatis lubrica mẽs Ariſtotelis ĩ hac parte.

Cyril.
Clemens.
Triſmegiſt.
D.Tho.
Simpl.
Themiſ.
Philop.
Eugub.

Explicatur difficultas de modo diuinæ immenſitatis.

XLIX. VNa ſupereſt difficultas circa modum quo declarauimus diuinam immenſitatem, Nã vi-
A demur attribuere diuinæ ſubſtantię diſpoſitionẽ quandam, ſeu modũ exiſtendi, habentem actu infinitam quandã quaſi extenſionem, quã nos per comparationem ad infinitum ſpatiũ imaginariũ declaramus. Hic autem modus exiſtẽdi videtur repugnare diuinę ſimplicitati, quia non põt intelligi ſine aliqua diſtinctione & compoſitione partiũ componentium illum exiſtendi modũ, & cõſequenter neceſſariam eſſe aliquã diſtinctionem ex natura rei inter illũ modũ pręſentiæ & ſubſtãtiam cuius eſt modus. Q̃d declaratur per proportionem ad alias ſubſtantias immateriales: q̃ñ.n. angelus habet totam ſuam ſubſtantiam præſentẽ in loco extenſo, quamuis in illo modo præſentiæ non ſit vlla extenſio ex parte ſubiecti, quod indiuiſibile eſt, eſt tñ neceſſaria aliqua extenſio ſeu partium diſtinctio in tali modo præſentiæ in ordine ad diuerſas partes loci ſeu ſpatii, cuius ſignũ euidens eſt, quia põt angelus omittere præſentiã ad vnã partem ſpatii, & cõſeruare ad aliam: ergo ſignum eſt illas partes præſentiæ eſſe in re diſtinctas, aliàs non poſſet a parte rei vna deſtrui, con-
B ſeruata alia. Sicut ẽt in aĩa rõnali toti corpori vnita intelligimus, modum vnionis ad totũ corpus, licèt non habeat partes ex ſubiecto, ſcilicet, aĩa haberet tñ illas per habitudinem ad diuerſas partes corporis, ſignumq; eſt, ꝙ cum vna pars abſcinditur, v.g. manus, amittit anima partialem vnionẽ ad illam partem materiæ, conſeruata vnione ad reliquas partes corporis: idem ergo proportionaliter intelligendũ eſt in præſentia locali. Ex quo videtur vlterius colligi, hanc præſentiã ad ſpatiũ talis eſſe rõnis & conditionis, vt nõ poſſit per indiuiſibilem entitatem aut modũ adeſſe ſeu reſpicere diuerſa ſpatia, aut diuerſas partes ſpatii, ſed neceſſario diſtingui aut variari præſentias partiales & totales per habitudinẽ ad ſpatia diuerſa, totalia ẽt, vel partialia. Imò hinc ꝓuenit vt quotieſcunq; mutatur habitudo ad ſpatiũ, mutetur modus pręſentiæ, amittendo vnũ & acquirẽdo aliũ, quia, ſcilicet, talis modus præſentiæ quaſi coextẽditur ſpatio, & hẽt ſuam entitatem quaſi commẽſuratã illi. Hinc ergo ad Deum aſcendendo, ſi diuina ſubſtantia intelligitur à nobis quaſi diffuſa per totum ſpatium extenſum, oportebit ẽt in illamet præſentia, quæ in Deo aliquid eſt intelligere extenſionem quandã nõ ex parte Dei, ſed per cõ-
C parationem ad diuerſas partes ſpatii, quia illa pręſentia vt dicit habitudinem ad hanc partem v.g. vbi eſt centrum terræ, non dicit habitudinem ad illam vbi eſt cœlum, neque è conuerſo.

L. Hæc difficultas ſolum poſita eſt ad declarãdũ eminentiã huius diuinæ immenſitatis, & differẽtiam inter illã & omnes præſentias rerum creatarũ, tã corporalium, quàm incorporalium, non ſolum in eo ꝙ hæc præſentia Dei eſt infinita, aliæ verò finitæ, ſed etiam in eo quod hæc eſt prorſus inextenſa, & indiuiſibilis, aliæ verò ſunt diuiſibiles & compoſitę. Hoc.n. poſterius efficaciter cõuincit argumentum factum, illud verò prius omnino neceſſarium eſt ob ſummam perfectionẽ & ſimplicitatem diuinæ ſubſtantiæ. Neq;.n. neceſſe eſt, vt in hac ĩperfectione præſentia diuina ſimilis ſit pręſentiis finitis. Imò ſi in hoc eſſet eis ſimilis, nõ poſſet eſſe infinita, in re.n. formaliter extenſa, & cõpoſita ex partibus non magis poteſt intelligi infinita entitas ſine termino, quàm paſ-

Diſcrimen inter modũ præſentię diuinæ & omnes alias creatas.